



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 8. Vario Marte a Cæsareis, Gallisque ubique pugnatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Sæc. XVII ciliare nitebatur, lethali vulnere affi-
A. C. 1675. cientes, demum Janissarorum præsidio
 tuti cum multis Calvinistarum familiis
 sese in Turcicum agrum recepere: Pau-
 lopost Strasoldus Comes Tökeli agmen
 strenue Zatmarinum usque infecutus,
 seditiosos ad prælii necessitatem ade-
 git, eosque ingenti clade oppressit, ac
 cæsis eorum octingentis, captisque qua-
 draginta militaribus signis, multam
 armentorum copiam eis eripuit: ipse
 met quoque Tökelius ægre præcipiti
 fuga sibi consulere poterat, in fronte
 vulneratus, ut ex infamiæ cauterio
 ejus præfractæ fronti inusto hujus Viri
 perfidia cunctis conspicua fieret,

§. VIII.

*Vario Marte a Cæsareis, Gallisque
 ubique pugnatum.*

Postquam Turrenius Franciæ Mare-
 scallus nupera expeditione detritas
 exercitus sui vires reparaverat, primo
 hujus anni Vere Cæsareis Alsatia pul-
 sis, ipsemet Rex Ludovicus in Belgium
 irrupit, & captis, incensisque pluri-
 bus oppidis victor in Gallias ad sedan-
 dos intestinos motus rediit, totius ex-
 peditionis ad Rhenum cura Turrenio
 relicta: Hic igitur trajecto Rheno Aco-
 heram oppidum insidet, ut eo facilius
 castra

Sæc. XVII.
A. C. 1675.

castra Montecuculi, qui eum cis Rhe-
num repellere moliebatur, explorare pos-
set: cum autem Caprara Offenburgi
Gubernator cum suis Sasbacum versus
movisset, Turrenius ex adverso hostium
in acclivi colle castra explicat, atque
a captivis, Cæsareorum impedimenta
in montana subduci edoctus, an non
fors ipsimet etiam sequerentur, specu-
latum ad eminentiorem locum progre-
ditur: Attamen dum San - Hilario Co-
miti locum pro extruendo suggestu mon-
strat, ignito grandioris tormenti globo
percussus, vitam improvise fato amisit,
non sine immenso Regis luctu; Eadem
glande San - Hillario brachium avulsum
est; Comperta tanti Belliducis nece
horruere Gallorum castra, moxque
Lorchius, qui defuncti vices interim
agebat, Altenheimium recessit, multi-
plici suorum clade a Cæsareis multat-
us: Cæsarei vero opima præda ditati
Argentoratum ingrediuntur, & Mon-
tecuculus incassum tentata Hagenoa
Condæum Principem, cui Rex exerci-
tus imperium demandabat, strenue in-
secutus, Tabernas urbem obsidet, so-
luta autem obsidione prætoriam statio-
nem Ehingæ occupat, a Badensi vero
Duce apud Cæsarem accusatus, Vien-
nam contendit. Inclinatorum Gallorum
rebus Cæsarei, qui Lotharingicis alio-
rum-

B 4

rum-

Sæc. XVII. rumque Principum copiis aucti ad Mo-
A.C. 1675. fellam castra metabantur, Trevirenses
 urbem expugnare aggrediuntur, inito-
 que prælio Crequium Franciæ Mare-
 scallum, qui cum suis Trevirim libe-
 raturus accurrerat, profligant, simul-
 que eum & civitatem deditione capiunt:
 vicissim vero Estradius Comes arcem
 Leodiensem præfidiariis auro Gallico
 corruptis interceptit, nilque propius
 fuit, quam ut ipsum etiam Badensem
 Cardinalem, qui paulo ante cives ad
 Cæsaris partes inclinaturus eo venerat,
 captum abduceret. Interim Carolus
 Sueciæ Rex, qui Gallis favebat, Mar-
 cam Brandenburgicam copiis ferme va-
 cuam hostiliter invasit, quamprimum
 vero Elector Brandenburgicus Cæsareo
 milite auctus, ex Franconia advenerat,
 iterata clade prostratum Suecum ex
 tota Marchia expulit, expugnatisque
 Wollino, & Wolgasto, Usedona, &
 Rattenavia universam Pomeraniam
 victricibus armis emensus est. Pariter
 Brunsvicensis Princeps, & Christopho-
 rus Bernardus Monasteriensis Episco-
 pus totum Bremensem & Verdensen
 Ducatum, excepta Stadia urbe Sueco
 eripuerunt: Nec minus prospero Marte
 adversus Carolum Christianus V. Da-
 niæ Rex dimicabat; quippe classe Sue-
 corum deleta in Wismariensi portu
 cun-